

namque volans rubra fulvos Iovis ales in aethra
 litoreas agitabat avis turbamque sonantem
 agminis aligeri, subito cum lapsus ad undas
 cygnum excellentem pedibus rapit in²probis uncis. 250
 arrexere animos Itali, cunctaeque volucres
 convertunt clamore fugam — mirabile visu —
 aetheraque obscurant pennis hostemque per auras
 facta nube premunt, donec vi victus et ipso
 pondere defecit praedamque ex unguibus ales 255
 proiecit fluvio penitusque in nubila fugit.
 tum vero augurium Rutuli clamore salutant
 expediuntque manus; primusque Tolumnius augur:
 'hoc erat, hoc, votis' inquit 'quod saepe petivi.
 accipio adgnoscoque deos; me, me duce ferrum 260
 corripite o miseri, quos improbus advena bello
 territat invalidas ut aves et litora vestra
 vi populat: petet ille fugam penitusque profundo
 vela dabit. vos unanimis densate catervas
 et regem vobis pugna defendite raptum.' 265
 dixit et adversos telum contorsit in hostis
 procurrens: sonitum dat stridula cornus et auras
 certa secat. simul hoc, simul ingens clamor et omnes
 turbati cunei calefactaque corda tumultu.
 hasta volans, ut forte novem pulcherrima fratrum 270
 corpora constiterant contra, quos fida crearat
 una tot Arcadio coniunx Tyrrhena Gylippo,
 horum unum ad medium, teritur qua utilis auro
 balteus et laterum iuncturas fibula mordet,
 egregium forma iuvenem et fulgentibus armis 275
 transadigit costas fulvaeque effundit harena.
 at fratres animosa phalanx accensaque luctu
 pars gladios stringunt manibus, pars missile ferrum
 corripiunt caecique ruunt. quos agmina contra
 procurrunt Laurentum, hinc densi rursus inundant 280
 Troes Agyllinique et pictis Arcades armis:
 sic omnis amor unus habet decernere ferro.
 diripere aras, it toto turbida caelo